

Factūrusne operae pretium sim, sī ā p̄mordiō urbis rēs populī Rōmānī perscrīpserim, nec satis sciō nec, sī sciam, dīcere ausim, 2 quippe quī cum veterem tum volgātam esse rem videam, dum novī semper scrīptōrēs aut in rēbus certius aliquid allātūrōs sē aut scrībendī arte rudem vetustātem superātūrōs crēdunt. 3 Utcumque erit, iuvābit tamen rērum gestārum memoriae p̄ncipis terrārum populī prō virīlī parte et ipsum cōsuluisse; et sī in tantā scrīptōrum turbā mea fāma in obscurō sit, nōbilitāte ac māgnitūdine eōrum mē, quī nōminī officient meō, cōnsōler.

4 Rēs est praetereā et immēnsī operis, ut quae suprā septingentēsimum annum repetātur et quae ab exiguīs profecta initiīs eō crēverit, ut iam māgnitūdine labōret suā; et legentium plērīsque haud dubitō, quīn p̄mae orīginēs proximaque orīginibus minus praebitūra voluptātis sint, festinantibus ad haec nova, quibus iam p̄idem praevalentis populī vīrēs sē ipsae cōficiunt: 5 ego contrā hoc quoque labōris praemium petam, ut mē ā cōspectū malōrum, quae nostra tot per annōs vīdit aetās, tantisper certē, dum p̄isca illa tōtā mente repetō, āvertam, omnis expers cūrae quae scrībentis animum, etsī nōn flectere ā vērō, sollicitum tamen efficere posset.

6 Quae ante conditam condendamve urbem, poētīcīs magis decōra fābulīs quam incorruptīs rērum gestārum monumentīs, trāduntur, ea nec adfirmāre nec refellere in animō est.

[...]

10 Hoc illud est praecipuē in cōgnitiōne rērum salūbre ac frūgiferum, omnis tē exemplī documenta in inlūstrī posita monumentō intuērī; inde tibi tuaeque reī p̄blicaе quod imitēre capiās, inde foedum inceptū, foedum exitū quod vītēs. 11 Cēterum aut mē amor negōtiī susceptī fallit, aut nūlla unquam rēs p̄blica nec māior nec sānctior nec bonīs exemplīs dītior fuit, nec in quam cīvitatē tam sērae avāritia luxuriaque immigrāverint, nec ubi tantus ac tam diū paupertātī ac parsimōniae honōs fuerit. Adeō quantō rērum minus, tantō minus cupiditātis erat: 12 nūper dīvitiae avāritiam et abundantēs voluptātēs dēsīderium per luxum atque libīdinem pereundī perdendīque omnia invexere.